

P R I B I S L A V S R E X H E R V L O R V M .



Pribislaus ex illustri familia Bilingorum natus & educatus fuit. Cum autem ipse cum fratre Nicoloto hæredes essent regni Herulorū, Canutus regis Daniæ filius eorum ditionem occupauit, atque pueros in arce Slesuicensi diu captiuos habuit anno millesimo centesimo tricesimo. Verūm pa-
lo post, Canuto à priuigno interfecto, Pribislaus ad paternam ditionem rediit, atq; sese Herulorum, Vagriorum, Greieænorum, Polamborum, Obotri-
tarum, Kissinorum & Vandalarum regem nomina-
uit & scripsit. Erat is egregius princeps atque mul-
tis uirtutibus ornatus. Itaque suum regnum forti-
ter defendit, atque hostes undique profligauit. Ve-
rūm id tantū ab initio ei deerat, quod gentium adhuc idola coleret, atq; Chri-
stianos persequeretur. Cum autem Heinricus Leo potens Saxoniæ dux Chri-
stianos defenderet, atque Pribislai fratrem bello captum suspenderet, Pribis-
laus tandem cum Heinrico pacem iniit, atque Christianorum religionem su-
scepit. Itaque utrique principes anno millesimo centesimo septuagesimo pri-
mo uoti causa Hierosolymam profecti sunt, atq; pios homines mirum in mo-
dum contra Saracenos adiuuarunt. Reuersi itaque ipse in magna authorita-
te extitit, atque inter Germaniæ principes multoties fortitudinis palmam
tulit.